

adscribendam sequatur. Quantumvis enim et haec sibi certa ac explorata protestatur *Calvinus*, ab Ecclesia tamen, tanquam blasphemie in Deum reus, est condemnatus.

ARTICULUS II.

AN REATUS CULPÆ ET REATUS PœNÆ DISTINGUANTUR?

26. *Nota.* Effectus peccati, prout in ordine ad Deum et peccatorem spectantur, duplarem classem conflant. *Primi generis* est jus duplex, quod ex peccato posito in Deo nascitur: alterum est jus ad inimicitiam et odium contra peccatorem aequum ac peccatum, si sit mortale, aut saltem ad disiplinam, si sit veniale: alterum est jus ad infligendam peccatori pœnam, ac vindictam de eo sumendam.

Secundi generis varii assignantur, nempe *aversio et obliquitas* voluntatis remanens per modum habitus post actualem aversionem et deordinacionem: *macula*, quæ communiter sumitur pro peccato habituali, a quibusdam autem per privationem nitoris, quo anima antea dicebatur immaculata, explicatur: *privatio gratiae seu justitiae infusæ*, si praecessit peccatum mortale ab homine in statu elevationis perpetratum: *dispositio vel habitus* a peccato commissionis relictus: *corruptio naturæ*, quæ ex peccato personali orta potissimum sita est in eo, quod per subtractionem auxillii et protectionis divinae ac habitus vitiosos inclinatio ad bonum minuatur, ad malum augeatur. His vero omissis, de quibus plura dicendi alibi forsitan locus erit, superest duplex obligatio sive debitum, juri illi duplice divino correspondens, ex peccato natum, nempe *reatus culpæ*, quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam inimicitiam ac odium vel disiplinentiam: et *reatus pœnae*, quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam pœnam seu vindictam et supplicium.

De utroque hoc reatu autem controversia est inter Theologos: nonnulli eum volunt tantum *formaliter* esse inter se distinctum et per comparationem ad diversos terminos, realiter vero identificatum, adeoque aboleri secundum ex integrō, si primus penitus extinguatur: aut si reatus aliquis pœnæ adhuc remaneat, etiam superesse adhuc reatum aliquem culpæ. Contraria sententia est communior Theologorum, qui volunt reatum culpæ et reatum pœnæ distinguiri *realiter*, adeo ut separari a se invicem queant, pereunte uno, altero manente.

27. *Dico.* Reatus pœnæ et reatus culpæ inter se realiter distinguntur.

Prob. Juxta Trid. Sess. 3. Can. 5. *per baptismum remittitur reatus peccati originalis, et tollitur totum id, quod verā et propriam peccati rationem habet.* Ergo tollitur totus reatus culpæ; cum includat etiam actum peccati moraliter perseverantis, utpote qui aequum est objectum odii divini, ac ipse peccator. Atqui tamen per baptismum non remittitur *omnis reatus pœnae*; quia mors corporis, rebellio concupiscentie etc., quibus homo etiam baptizatus subjacet, ex S. Scriptura et Patrum doctrina sunt pena peccati originalis; ergo.

Item ibid. Sess. 6. c. 14. et Can. 30. dicit, *per justificationis gratiam remitti culpam et reatum aeternæ pœnae, remanere tamen reatum pœnae tem-*

poralis exsolvendæ in hoc seculo; ergo distinguit realiter inter reatum utrumque. Denique Sess. 14. c. 8. et Can. 12. *falsum omnino esse et a Verbo Dei alienum declarat, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*: et damnat eos, qui dixerint, *totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo.* Ergo reatus culpæ separari potest a reatu pœnæ.

Conf. Jus ad *odium*-oritur ex jure personali offensi, et *odium* per se sumitur ex disiplentia personæ: jus vero ad *pœnam* oritur ex potestate judiciali et vindicativa, et pœna sumitur ex amore justitiae, cautelæ et exempli aliis dandi. *Item* unum jus potest tantum esse in uno subjecto sine altero, uti patet inter homines, ubi offensus saepè non habet jus ad infligendam pœnam; et licet hanc petere a judice possit, Princeps tamen ex supra potestate eam potest remittere. Ergo quamvis haec jura ambo in Deo sint, sunt tamen *distincta*, et Deus aequum ac homo utraque possidens, potest cedere unum, altero manente. Ergo etiam debita his iuribus correspondentia, reatus scilicet culpæ et reatus pœnæ sunt realiter distincti et separabiles.

28. *Obj. I.* Conc. Tridentinum explicari potest, si dicatur non remitti ubique totam culpam, ubi aliqua adhuc pœna solvenda restat, licet ubi tota culpa remittitur, etiam extingui totum reatum pœnæ concedatur.

R. N. Ass. Cum *hac explicatione* conciliari non potest præcipue primus Trid. locus, potestas clavium in sacramento Pœnitentiae, et communis persuasio fidelium: nec fundamentum grave habetur ejusmodi interpretationis.

Inst. 1. S. Th. p. 3. q. 86. a. 4. postquam in 0. dixisset peccatum continere in se duo, aversionem tanquam formale, cui respondet pœna æterna: conversionem tanquam materiale peccati, cui respondet pœna temporalis; in resp. ad primum subiungit: *Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu pœnae æternæ. Remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conversione ad bonum creatum: pro qua debetur reatus pœnae temporalis.*

R. Tam hic, quam alio in loco cit. a S. Thom. distingui inter reatum culpæ ac pœnæ, adducto exemplo Davidis, cui post significatam remissionem peccati, denuntiatum est moriturum in pœnam peccati filium; et utrobique hinc concludi: *Punitur ergo aliquis a Deo, etiam postquam ei peccatum dimittitur: et sic reatus pœna remanet peccato remoto.* Vel: *Ergo remissa culpa remanet reatus alicujus pœnae.* Hinc textum explicare licebit distinguendo. Remanet illa conversio formaliter in se aut in ratione culpæ *N. effective* seu quoad aliquem effectum, scilicet reatum pœnæ, quatenus restat adhuc quidpiam pro ea solvendum *C.*

Inst. 2. Si dicatur, remisso etiam reatu culpæ et pœnæ, imponi posse a Deo vel Confessario obligationem ad satisfactionem vel satispassionem, quia justitia Dei exigit, ut culpa reordinetur per pœnam, et peccator cum tali onere recipiat ad gratiam, ut a relapsu absterreatur; hec obligatio potest adhuc dici reatus pœnæ, quatenus remote oritur e culpa. *Conf. S. Th. 1. 2. q. 87. a. 6. ad 1. dicit: Cessante macula non remanet reatus secundum eamdem rationem.*

R. N. Ass. Tertius Trid. locus satis clare videtur dicere, totum præcedens debitum ad culpam non semper remitti, quod tamen hic volunt *Sebastæ.* Præterea vel peccatum meretur pœnam æternam et temporalem

simul, aut hanc saltem conditionate, si nempe poena eterna remittatur: vel non. Si affirmas; quaecumque a Deo vel Confessario imponatur poena, ea jam ante erat debita, atque hinc antiquum debitum ac reatus precedens non remittitur totus. Si negas; nulla hujus vitae afflictio poena peccati originalis aut personalis dici amplius potest: poenitentia quaelibet erit spontanea duntaxat humiliatio erga offenditum Numen: nec ad eam subeundam poenitentis forte tenebitur; de quibus sequelis consulendus Tract. de Poenitentia.

Ad Conf. D. Cessante macula non remanet reatus secundum eamdem rationem, quatenus non jam est poena simpliciter, sed satisfactoria. C. quatenus nequidem satisfactoria poena est N. Verba S. Thomae ibid. ad 2. haec sunt: *Dicendum, quod virtuoso non debetur poena simpliciter: potest tamen deberi poena ut satisfactoria.* Idem autem hic in 6. poenam simpliciter vocat eam, quae alteri tanquam inimico infligitur ex odio, vel acceptatur ab invito; quorum neutrum poenae satisfactoriae congruit.

29. *Obj. II.* Odium idem est ac vindicta seu voluntas infligendi poenam. Item homo eatenus a Deo habetur odio, quatenus illi ab isto infliguntur mala. Ergo debitum sustinendi odium et debitum luendi poenam, id est, reatus culpae et poenae, sunt etiam idem.

R. *N. utr. part.* Quamvis odium et ira frequenter usurpentur pro eodem, judicet tamen D. THOMA 1. 2. q. 46. a. 6. reipsa inter se multum discrepant. 1^o. Enim odium praeceps aversionem aut displicantiam indigit: ira aut vindicta affectum inferendi malum. 2^o. Si etiam displicantii gaudeat vel velit inesse malum, abstrahit tamen, unde illud adveniat, et num juste inferatur: ira vult causare malum, et appetit poenam, hoc est, malum jure debitum. Præterea constat, Deum suos etiam amicos ad probandam eorum fidelitatem malis affligere: unde consequitur, afflictionem omnem odii effectum male existimari.

Inst. S. Aug. alium in peccato non agnoscit, quam poenae reatum. Nam L. de Nupt. et Concup. c. 26. ait: *Manent ergo peccata, nisi remittantur: sed quomodo manent, si præterita sunt? nisi quia præterierunt actu, manent reatu.* Et L. 6. cont. Julian. c. 16. n. 49. de baptizato: *Omní peccato, inquit, caret, non omni malo; quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis.* Numquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod aggravat animam?

R. Equidem reatus antonomastice debitum poenae significat, et quatenus quid penitus distinctum a culpa sonat, illi uni convenit. Adeo tamen id S. Aug. hic non asseruit, ut potius contrarium insinuet: unde N. Ass. et prob. Hæc siquidem L. 1. de Nupt. c. cod. præmiserat: *Si quisquam, v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur.* Patet autem adulterii reatum esse reatum culpæ. Similiter loco cont. Julian. cit. dicit baptizatum carere reatu omnium malorum, negat carere omnibus malis, nempe ex culpa originalia debitis, et sic reatu poenæ; ergo et hic pro more suo contra Pelagianos frequenter usurpato reatus nomine culpam, et nomine mali poenam inteligit, et utrumque reatum realiter dividit.

30. *Observa.* Dicta maxime reatum poenæ temporalis afficiunt. De reatu poenæ eternæ inter Theologos convenit, eum in præsenti providentia remitti

semper, ubi a Deo culpæ reatus tollitur. Deus enim culpam non dimittit, nisi per justificantem gratiam constitutam hominem sibi amicum, eique jus ad beatitudinem tribuat, cum quo repugnat culpæ æternæ reatus. Disputatur vero, num remissa homini a Deo culpa, poena æterna infligi de absoluta, ut aiunt, potentia queat? a qua disputatione tamen hic abstinere juvat.

QUÆRES: *Quid et quotuplex sit poena?*

31. R. I. Poena est malum voluntati vel saltem naturæ contrarium, ad puniendam culpam illatum. Depromitur ex D. THOMA 1. 2. q. 46. a. 6. responsione ad 2. *Est autem de ratione poenæ, quod sit contraria voluntati, et quod afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur.* Dicitur

1^o. *Malum*, nempe respectu ejus qui patitur; cum respectu ejus qui punit, sit bonum, puniente actum justitiae vindicativæ exercente. Mali autem nomine venit hic quocumque incommodum, sive per inflictionem mali, ut cruciatus, ignominia etc., sive per ablationem boni alicuius statui convenienti accidat, ut spoliatio honoris, opum, etc.

2^o. *Contrarium voluntati*, hoc est inclinationi voluntatis elicite, vel naturalis, unde additum est: *vel naturæ.* Hinc poena etiam dicitur afflictio, quia quis ad satisfaciendum acceptat; quia inclinationi naturali repugnat: Item peccatum quantumvis homini voluntarium, quod Deus in vindictam præcedentis permittit; quia vitiat naturam: Denique amissio gratiæ, licet eam ex ignorantia vel malitia peccator non curet; quia peccatorem reddit infelicem.

3^o. *Ad puniendam culpam illatum;* sicut enim culpa infert et meretur poenam, sic poena supponit culpam, et propter hanc seu in vindictam pro aliqua culpa infertur.

32. R. II. Poena 1^o. alia est simpliciter poena, alia satisfactoria, alia medicinalis. *Poena simpliciter* dicitur, quæ modo allatas conditions omnes habet, et præterea est effectus culpæ in eo, qui hunc patitur, ac intelligitur inferri ab extrinseco per modum sententiae vindicativæ. Hinc dolor animi de culpa commissa: merus cruciatus aut poenitentia, qualis est sectio regi facta a medico: tormenta a Christo pro nobis tolerata; poena simpliciter non sunt: neque homo etiam hanc sibi infert, nisi quantum est spontaneus executor vindicis jubentis. *Satisfactoria*, quæ voluntarie suscipitur, et suscipi etiam potest ab eo, qui culpam, ob quam poena debetur, non commisit. Exemplum extat in Christo, et etiam justis, qui pro aliis satisfacere possunt. *Medicinalis*, quæ non tantum ad vindicandam culpam, sed ad aliud etiam bonum patienti vel aliis procurandum ordinatur. Quin sine culpa etiam infligi eam posse probare videtur testimonium Christi de cæcitatibus poenæ Joán. 9.

2^o. Alia est *vitæ præsentis*, cuius varietatem tristi experientia quotidie discimus: alia *futura vita*, quæ in purgatorio vel inferno luitur. Postrema subdividitur in poenam damni ac sensus. *Poena damni* est privatio visionis Dei beatificæ: *Poena sensus* vocatur cruciatus ignis et tormentorum sive corpus sive animam afflignantum, denominatione a potiori desumpta; quia, quæ hominem cruciant, potissimum sensibus percipiuntur.